

Nec Species sua cuique manet, rerumque novatrix  
ex aliis alias reparat Natura figuras.

De Primâ cibi in ore præparatione, coctione in ventriculô,  
separatione & deputatione in intestinis, exaltatione in corde  
hactenus dictum; proximum jam est, ut hepatis, aliorumque  
viscerum laboratoria introeamus, & quid ibi nutrimento con-  
feratur, scrutemur. Ordine hæc perlustrabimus, ab hepate  
exorsuri.

I. HEPAR, Græcis ἥπαρ dicitur ἀπὸ τῆς ἠπαρίας, ab  
inopiâ, quod omnium partium inopiæ ex veterum credulitate  
succurrat, vel ab ἥπιον, quod est benignum, quum ceu benignus  
microcosmi Jupiter toti corpori nutrimento prospiciat; vel ab  
ἔπω, operor, & ἔαρ sanguis, quum sit officina sanguinis; vel ab  
ἥπᾶν perforare, quum venis pluribus in locis perforatum sit,  
vel ab ἠδω, oblector, & ἔμεαι concupisco, quod voluptatis & con-  
cupiscentiæ sedes à Platone in Timæo ibi locata fuerit. Jecur  
quasi juxta cor situm sit, vocatum putant. Verum nodum in  
scirpo quærunt ipsarum radicum derivationes investigaturi.  
Quibusdam hypochondrium dextrum καὶ ἐξοχήν à locô, quo  
continetur, denominatur. Hippocratis tempestate pueri jecur  
cor appellabant, l. 4. de morbis. Aliàs etiam hepar est piscis no-  
men ex genere locustarum, cujus meminit Plinius l. 32. c. 11.

II. Est pars organica, Sanguinis in corde confecti ulteriori  
coctioni, nec non deputationi inserviens, & præterea ventriculi vicini  
coctionem amplexu suo juvans, vasa fulciens, chylique à ventriculo e-  
gressum motu suo promovens

III. SITUM est in superiori infimi ventris parte, sub dia-  
phragmate, à quô tamen ad digiti circiter transversi spatium,  
ne motum eius impediatur, distat, dextrum hypochondrium circa  
nothas costas maximam partem occupans, superiori, anteriori,  
& dextræ ventriculi parti leviter insidens, ejusque orifici-  
um sinistrum attingens. Eâ in parte sinum habet, ut œsopha-  
gi partem admittat. Laxatis ligamentis, quibus astringitur  
diaphragmati, & cartilagini xiphoidi, ultra nothas costas, usq;  
ad